

dem secundum artem. Aspersio vero fit a Sacerdote, ut Caementum quoque Lapidem tangens benedicatur, et ita abjiciatur insidia Diabolicae fraudis.

81 Statim ac locatus est Lapis iste primarius in Ecclesia, fit locus ille Sacer, et immunis, non vero ante dictam impositionem: *S. C. Immunitatis in una Januen. 5. Octobr. 1688. relat. a Riccio Synops. verbo Ecclesia, n. 2.*

Sequitur cum toto Psalmo *Miserè, etc.* usque ad *Gloria Patri, etc.* inclusive, ut hoc intermedio tempore Caementarius valeat Lapidem recto collocare, et consolidare.

§. XII. Quo dicto, Sacerdos spargit Aquam Benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta: Si vero non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta Ecclesiae designata: et incipiens aspergere inchoat Antifonam Clero prosequente: *O quam, etc.*

82 83 84 Si non aperta, saltem ex arte designata esse debent fundamenta ut totus appareat situs benedicendus, tanquam Deo dicatus, qui benedici debet hac aspersione, ut aliquo modo sanctificentur initia, quae occulta jacebunt in aedificio. Psalmus est 86. in quo cantatur laus Jerusalem, per quam Ecclesia Christiana proculdubio intelligi debet.

§. XIII. Interim aspergendo procedit usque ad fundamenta aperta, seu designata, Et repetita Antiphona, stans dicit *Oremus, etc. Flectamus genua, etc.*

85 Eo puncto ad punctum fieri debet circulus circa fundamenta vel aperta, vel designata per quem iter suum facit Sacerdos aspergens.

RITUS BENEDICENDI

NOVAM ECCLESIAM, SEU ORATORIUM PUBLICUM, UT IBI SANCTISSIMUM MISSAE SACRIFICIUM CELEBRARI POSSIT.

TITULUS CUADRAGESIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Ritus hic spectat ad Benedictionem, non ad consecrationem.
- 2 Locus fit sacer duplici modo.
- 3 Differentia inter Benedictionem, et consecrationem.
- 4 Benedictio a quolibet Sacerdote ministrari potest.
- 5 Consecratio a solo Episcopo fieri potest.
- 6 Ecclesia Benedicenda debet esse nova.
- 7 Non vero opus est, ut sit de novo aedificata.
- 8 Missam celebrare non decet, nisi in loco Sacro.
- 9 Ecclesia nec benedicta, nec consecrata gaudet immunitate.
- 10 Benedictio, seu consecratio praesumi non potest nisi probetur.
- 11 Probatio per unicum testem sufficit.
- 12 Nisi Ecclesia fuerit Cathedralis.
- 13 Inferiores Ecclesiae praesumuntur benedictae, si ibi pluries celebratum fuerit Missae Sacrificium.
- 14 Ecclesia potest dici nova post profanationem, et restorationem.
- 15 Ampliatio, vel additamentum non facit novam Ecclesiam.
- 16 Ecclesia per destructionem amittit consecrationem, seu Benedictionem.
- 17 Exemplum consecrationis Ecclesiae S. Dominici Ferrariae.
- 18 Oratoria benedicuntur eodem ritu.
- 19 Pro Oratoria erigendo debent verificari omnia in Breve contenta.
- 20 Domus Religiosae possunt habere Oratorium privatum.
- 21 Oratoria in Domibus Religiosorum benedici a suis Religiosis.
- 22 Facultas benedicendi Ecclesiam potest tradi simplici Sacerdoti.
- 23 Facultas debet dari in scriptis.
- 24 Littera scripta manet.
- 25 Facultas debet registrari cum copia Brevis.
- 26 Origo hujus Benedictionis antiquissima.
- 27 Antiquis temporibus non tam solemniter benedicebantur Ecclesiae.
- 28 S. Sylvester Papa ampliavit hunc Ritus.
- 29 Causa finalis hujus Benedictionis.
- 30 Esset inconueniens, si in Ecclesia nunquam litaretur.
- 31 Altaria eriguntur ad effectum ibi litandi.
- 32 Alba est adhibenda in hac Benedictione.
- 33 Color Albus convenit huic Benedictioni.

- 34 Ministri in hac Benedictione sunt necessarii.
- 35 Crux semper debet elevari in Processione.
- 36 Benedictio haec fieri debet in mane.
- 37 Ecclesiae possunt habere plures januas.
- 38 Oratorii sufficit unica Porta.
- 39 De Januis aliqui Authores scripsere.
- 40 Janua major vere dicitur Janua.
- 41 Januae minores vocantur licentiae.
- 42 Stare est imperativi modi.
- 43 Caput aperitur ob reverentiam rei Sacrae.
- 44 Aspersio cum Aquae benedicta quare hoc loco fiat?
- 45 Ecclesia debet libere posse circuiti.
- 46 Moenia exteriora denudata esse debent, secluso magno incommodo.
- 47 Ecclesia pro benedictione debet esse nuda, et vacua.
- 48 Tabula seu Icon Altaris tolerari potest.
- 49 Ecclesiae pollutae omni Sacra suppellectili denudantur.
- 50 Altaria in Ecclesia benedicenda expoliata esse debent.
- 51 Ecclesia quare Populo vacua esse debeat?
- 52 Aspergillum ex Herba Hyssopo adhibendum.
- 53 Hyssopi mysteria, et usus.
- 54 Hyssopi descriptio.
- 55 Herba Hyssopo fides, et humilitas describitur.
- 56 Hyssopus est Herba admodum purificativa.
- 57 Quenam Herbae adhibendae essent, si non adinveniretur Hyssopus.
- 58 Aspergillum hoc fieri potest etiam ex Ocymo, *Basilicò.*
- 59 Muri exteriores aspergendi primo sunt.
- 60 Fundamenta quanam vere sint in Ecclesia, et quid significant?
- 61 Ubi fundamentum non est, superaedificari non potest.
- 62 Parietes exteriores Ecclesiae gaudent immunitate.
- 63 Benedictio unde initium sumpsit, ibi terminare debet.
- 64 Hac dici potest prima solemnitas illius loci.
- 65 Ibi genuflectitur, quia locus Sacer est.
- 66 Qui componit Processionem, intrare potest Ecclesiam.
- 67 Populus vero se abstinere debet.
- 68 Cum Ecclesia benedicatur quae oque Altare.
- 69 Nomen Sancti Titularis exprimendum.
- 70 Signum Crucis in aere sculpi debet.
- 71 Litaniae debent cantari.
- 72 Ecclesia intus, quando incipiat benedici.
- 73 Distantia Sacerdotis benedicientis ab Altare.
- 74 Cur recedat Sacerdos ab Altari?
- 75 Sacerdos debet facere Chorum intonando.
- 76 Distantia haec dependet a numero ministrorum.
- 77 Sacerdos debet praestare commodum ad Processionem faciendam.
- 78 Tertia adoratio loci Sacri.
- 79 Processio ista quando inchoari debeat?
- 80 Psalmorum, qui ibi cantantur, significatio.
- 81 Si non sufficiant, addi possunt alii Graduales.
- 82 Parietes interiores benedicuntur eodem ritu ac exteriores.
- 83 Populus ingreditur expleta Benedictione.
- 84 Altaria immediate vestiuntur albo colore.
- 85 Missa defunctorum tali die celebrari non potest ibi.
- 86 Missa de Dedicatione esset celebranda.
- 87 Ecclesia Benedicta debet ab Episcopo consecrari.
- 88 Benedictio est in subsidium, et ad modum Provisionis.
- 89 Ecclesia de jure consecranda est.
- 90 Oratoria tanta solemnitate non indigent.

1 2 Benedictionis hujus Titulus multa animadversione indiget antequam ad explicationem Rubricarum in eo contenta-

rum deveniamus, et primo, advertendum est, Ritus hunc ad Benedictionem spectare, non vero ad consecrationem: Duplici enim modo fit locus sacer: per Benedictionem, et per Consecrationem.

3 4 5 Benedictio simplex, et Consecratio Ecclesiarum differunt in hoc; quod prima minori solemnitate fit, quam secunda: simplex enim Benedictio, quae verbalis dicitur, fit solis verbis, et simplicioribus Ritibus: Consecratio vero est Benedictio realis, quae fit unctione ex Sacro Oleo, et Crismate, a quibus nobiliter significatur excellentia divinae majestatis, cui Templum dedicatur. Prima a quolibet Sacerdote ministrari potest (habita tamen facultate ab Episcopo) secunda ad Ministrum majoris dignitatis pertinet, nempe ad solum Episcopum, *Quart. de Bened. solemn. num. 167.* Ideoque cum Rituale Romanum constructum fuerit ad usum Parochorum, et simplicium Sacerdotum, ritum exponit benedicendi, non autem Consecrandi Ecclesiam.

6 7 8 9 Secundo, opus est, ut Ecclesia benedicenda sit nova: hoc vero non importat ut sit de recenti aedificata: potest enim dari casus in quo antiquae aedificationis sit Ecclesia, et nondum fuerit benedicta, neque in ea celebratum fuerit divinum Sacrificium: Missam enim celebrari non decet; communiter loquendo, nisi in loco sacro, et specialiter Deo dicato, *Quart. ibid. n. 757.* Et in hoc casu talem Ecclesiam constructam, et fundatam autoritate Episcopi, sed nondum benedictam, vel consecratam, gaudere immunitate tenet Bellett. *disp. Cleric. p. 1. de favor. Cleric. real. §. 4. num. 27. et c. final. de consecrat. per allegat. a Monacell. T. 1. t. 6. form. 10. num. 24.*

10 11 12 Nec praesumi potest ista Benedictio, seu consecratio, nisi probetur saltem unico teste, *Barbos, de Off. Ep. Alleg. 23. n. 5.* nisi haec Ecclesia fuerit Cathedralis, quia dicenti in contrarium incumbit onus probandi, *Text. in c. omnis Basilicae, de consec. dist. 1* et firmat Rota coram Manzan. *dec. 801. n. 11. Ricc. prav. Res. 479. tit. 1.*

13 Inferiores vero Ecclesiae praesumuntur saltem benedictae, si constet pluries ibi Missas celebratas fuisse; et quod tunc gaudeant immunitate, distinguit *Ambrosin. de Immun. cap. 10. num. 2. Monacell, ibid. n. 2.*

14 15 16 17 Nova etiam dici potest Ecclesia post profanationem, et post restorationem interiorem totalem, vel quasi; v. g. si novus ordo columnis, Capellis, Altaribus, Pavimento, parietibus circumdantiis, tecto, et aliis essentialibus partibus imponeretur, atque ita immutaretur ejus aspectus, ut pene nova dici possit: non vero per additamentum, vel ampliationem, aut perfectionem, quia haec non est nova constructio Ecclesiae; ex *Pignatell. T. 1. cons. 179. num. 15.* Regula enim est eodem *Pignatell. T. 10. cons. 39. allegata in vin can de Fabrica, de*

consecr. dist. 1. cap. proposuisti, etc. ligneis. de consecr. Eccl. per destructionem, Ecclesiam amittere Consecrationem, seu Benedictionem; sed in nostro casu destruuntur partes componentes Ecclesiam, licet permaneant in fundo jam benedicto, ergo indiget nova Benedictione, seu Consecratione, Barbos. *de Pot. Ep. T. 2. alleg. 26. n. 13.* utpote factum fuit hic Ferrariae de anno 1726. in Ecclesia S. Dominici, jam anno 1274. primo lapide fundata a B. Alberto Prandono Episc. Ferrarien. quae cum antiquae ejus structurae, per novam reaedificationem (licet in antiquo fundo jam consecrato usque ab anno 1555. a F. Thoma Histriae Episcopo) formam immutasset, noviter solemniter ritu consecrata fuit ab Em. et Reverendiss. D. Card. Thoma Ruffi Episcopo Praenestini, et Ferrarien. immediate, et posttride a peracta prima Synodo Dioecesana, nempe die secunda Mensis Octobris ejusdem anni 1726. Et ratio notissima hujus Consecrationis fuit, quia quamvis moenia circumdaria Ecclesiae hujus pene eadem essent, quae primo constructa fuere, at tamen tota forma intus immutata remanserat per novam Altarium, et Capellarum constructionem, atque ipsius frontis, quae antiquitus ad occasum extollebatur.

18 Praeter Ecclesias, benedicuntur quoque Oratoria, ut ex hoc Titulo apparet. Oratoria vero sunt parvae Ecclesiae, seu Cappellae publicae, quae non possunt erigi absque Ordinarii licentia, c. 4. *de Privil. in 6.* Oratorium etiam dicitur simpliciter locus, in quo non celebratur, quod privata familia, absque ulla licentia, erigere potest. *Gloss. in d. c. 4. de Privil. in 6.*

Hic sermo est de Oratoriis publicis, in quibus celebratur divinum Sacrificium, et propterea benedici debent eodem ritu, quo benedicuntur Ecclesiae, ad hoc, ut gaudeant immunitate. *S. C. Immun. in Sarzanen. 13. Junii 1638.* et divina Officia in eo celebrari possint.

19 Oratoria vero privata, quae alias vocantur Capellae, seu Capellinae et in domibus Nobilium esse solent, vigore alicujus Brevis Apostolici, non benedicuntur, sed sufficit, ut in Altari adsit lapis sacer, seu benedictus more consueto, et verificata sint omnia in brevi enunciata, *Monacell. T. 4. suppl. ad T. 2. n. 171.*

20 21 Domus Religiosae quoque possunt habere Oratoria privata, et praecipue solent fieri in Hospitiis. Haec benedici possunt a Religiosis illius Hospitii, ut praecipue de PP. Reformatis notat Analet. *Op. Moral. T. 3. l. 3. t. 16. de Cons. Eccl. Resp. 6. num. 9.* Atque haec dicta sin in genere pro Benedictione novae Ecclesiae, seu Oratorii publici. Praestat, ut ad explicationem Rubricarum deveniamus.

§. I. Sacerdos novam Ecclesiam, de licentia Episcopi benedicturus, ut in ea Divinum Sacrificium Missae rite celebretur, Stola et Pluviali albi coloris indutus aliquot Sacerdotibus, et Clericis adhibitis, praelata Cruce media inter duos Clericos deferentes cereos accensos, mane procedit ad primariam Ecclesiae, vel Oratorii januam, ubi stans capite aperto, conversus ad eam, dicit absolute Orationem, etc.

22 23 24 25 Inter jura Episcopalia, ut dictum est, illud connumeratur, benedicendi Ecclesias, non ita tamen, ut non possit ab eodem facultas haec minori Sacerdoti committi, Barb. *Man. Ep. et de Pot. Ep. d. l.* Haec vero facultas, et licentia dari solet in scriptis, *Monacell. d. T. 4. suppl. ad T. II. n. 483. contra Pignat. Cons. 98. n. 43.* Nam cum pro forma debeat constare de approbatione loci, et de ejus Benedictione, licentia oretenus habita perit; littera vero scripta manet; et de ea apud Episcopos successores constare debet: imo haec approbatio, seu licentia, una cum copia Brevis debet registrari in Cancellaria Episcopali, ne umquam de ea dubitari contingat, *Monacell. d. l. n. 494.*

26 27 28 Hujus Benedictionis origo antiquissima est; nam de S. Sylvestro legimus, quod Ritus, quos in consecrandis Ecclesiis, et Altaribus Romana servat Ecclesia, ipse instituerit. Nam etsi jam ab Apostolorum temporibus loca fuerint Deo dedicata, non tamen illa adeo solemniter ritu consecrabantur. Ex quibus, verbis. quae in Romano Breviario habentur sub die 9. Novembris. in Dedicatione Basilicae Salvatoris, Paulus Maria Quart. *de Bened. solemn. in part. num. 154. praebud. 1.* infert, liquere, simpliciter loquendo, Ritus Benedicendi, et consecrandi Ecclesias originem ducere ab Apostolis, sed a Sylvestro (reddita Ecclesiae pace) ad solemnioris formam, quam modo servat Ecclesia, redactum fuisse. Id etiam significat S. Clemens *ep. 2. ad Jacobum fratrem Domini:* Item *ex can. Eccl. 16. q. 7.* et ex aliis juribus, et exemplis Sanctorum Pontificum praedecessorum S. Sylvestri.

29 30 31 Causa finalis hujus Benedictionis, est ut Ecclesia, quae est Domus Dei, tanquam locus sacer, in majori honore, et veneratione sit apud Fideles, ut docet S. Thom. 3. *p. q. 83. art. 3.* sed major causa finalis est, ut in ea sive Ecclesia. sive Oratorio, Missae Sacrificium celebretur: inconveniens enim esset, quod in Ecclesia, autoritate Episcopi erecta, nunquam ex obligatione Missa litaretur, cum ad hunc effectum Altaria ibi erigantur, *Monacell. T. 1. t. 6. for. 10. n. 5. Trott. de perfecto Cleric. l. 2, c. 28. n. 3. de consecr. dist. 1. c.*